

qui aliter, occasione industriae in qua eum adjuvent, gravem inopiam patiantur. Ex ipsa enim condicione hodiernae industriae, speciatim e maxima laboris divisione et officinarum amplitudine, fit ut operarii diurni arta necessitudine cum hero suo constringantur: quare si ab eo dimittuntur, praesertim maximo numero in iisdem locis, saepe nullatenus vel nonnisi aegerrime et maxima salarii imminutione operam suam apud alios locare valent. Cfr. De Gryse, De contractu conductionis, p. 55. Verum ubi diu, puta per menses et annos, hujusmodi subsidia tribuenda forent, ut contingit pro operariis famulisve ob morbum, vulnus vel senium laborando imparibus, sola caritas tantum onus imponere nequit: quare, si aliunde necessitatibus horum miserorum non satis succurritur, seu propter languescentem caritatem, seu propter ingentem operariorum numerum, legis civilis erit iisdem providere, servatis naturalis aequitatis regulis. Atque haec de stricta obligatione dicta esse patet: cujus limites multum excedere solent qui vera christiana caritate aguntur.

Stipendium autem integrum solvendum est famulo qui per modicam tantum partem temporis ad quod operas suas locavit, puta unum alterumve diem per mensem, aegritudine ab implendis laboribus suis impeditus est: id enim non tantum suadet aequitas, sed, propter universalem consuetudinem, tacite in contractu inito continetur. Si vero iidem per notabile tempus aegrotarent, merces eis pro rata temporis impediti diminui posset: nam operas conducens non est censendus se obligasse ad solvendam mercedem pro tempore quo uti opera personae conductae non potest, ob impedimentum quod tantum ex parte illius personae se tenet. At operariis diurnis merces juste detrahitur pro rata temporis, etsi uno aut altero die aegrotent. (Reiffenst. in lib. 3 Decr. t. 18. nn. 99 et 104)

## CAPUT V.

## DE OBLIGATIONIBUS PRINCIPIUM ET SUBDITORUM.

**357.** Multa sunt, ut per se patet, specialia officia eorum qui aliquam civilis potestatis partem detinent. His fuse exponendis supersedebimus, quia eorum determinatio potius ad Philosophiam moralem vel Jus Canonicum publicum pertinet. Plurima etiam e variis partibus Theologiae Moralis definiri possunt, ex. gr. justitia in legibus ferendis e tr. de Legibus, in bello indicendo e dicendis de quinto praecepto Decalogi, in officiis publicis conferendis e tr. de Just. et Jure, etc.

**ASSERTA. I.** Subditi, iis qui civilem potestatem detinent, *amorem, reverentiam et obsequium* praestare debent: siquidem et civilis auctoritas a Deo venit, licet persona detinentis a populo designetur. Id e multis S. Script. locis eruitur, ex. gr. Eccli. XVII, 14: Rom, XIII, 1-7; et egregie exponitur in Encycl. Litt. Leonis PP. XIII, *Diuturnum*. (29 Junii 1881)

Hinc legitimae potestati rebellare non licet, ut patet ex damnatione Prop. 63<sup>ae</sup> in Syllabo Pii IX: "Legitimis principibus oboedientiam detrectare, immo et rebellare licet." Cfr. S. Th. de Regimine Principum, l. 1. c. 6. Attamen, ut bene observat Lehm. (l. n. 797) aliud est rebellare, aliud iniquis legibus earumque executioni resistere. Nam ubi vis aperte injusta infertur ab iis qui legitimam potestatem detinent, id "simile est violentiae latronum... et ideo, sicut licet resistere latronibus, ita licet resistere, in tali casu, malis principibus: nisi forte propter scandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur." (2. 2. q. 69. a. 4) Saepe haec resistentia activa erit illicita, quia, ob vim praevalentem, nullus bonus effectus sperari poterit, sed majora mala sequentur.

Quanta autem sit obligatio singularum legum civilium breviter dictum est n. 141, et de pluribus, ut de legibus, tributorem, militiae, etc. exponitur infra, praesertim in tr. de Just. et Jure.

**358. II.** Si gubernium postulat *juramentum* quod rei pravae approbationem continere videatur, hoc numquam praestare licebit, si obsequium postulatum ex adjunctis *communiter* habetur ut approbatio rei malae vel injustae. Exemplum habes in famoso juramento fidelitatis Constitutioni civili cleri Gallicani. Si vero, ex adjunctis vel restrictionibus adhibitis, approbatio illa removeri potest, licebit quandoque juramentum praestare, legitimam oboedientiam auctoritati debitam unice intendendo. Ceteroquin hujusmodi quaestio solet adeo implexa esse ut omnino necesse sit ad auctoritatem episcoporum vel etiam S. Sedis recurrere; eo vel magis quod in tali argumento uniformem praxim postulat Ecclesiae bonum.

Speciatim, quod ad *juramentum fidelitatis hodiernis Constitutionibus* praestandum pertinet, Ecclesia illud permittere solet sub duplici condicione: prior est, quod illa approbatio sit *mere civilis*, non theoretica, praesertim pro tolerantia omnium cultuum et ceteris laesionibus jurium Dei et Ecclesiae, quae in Constitutione forte reperiantur; posterior, quod *salvum sit jus Superioris*, i. e. Dei et Ecclesiae. Haec posterior restrictio in quibusdam regionibus expresse addenda est; in aliis, ut in Belgio, cum jam satis omnibus pateat quo sensu viri catholici jurent, subintellegi potest. Ita praestitum juramentum, ut summum dicam, est



cooperatio materialis rei per se malae : quae cooperatio in casu excusatur ob gravissimam causam, scil. ne catholici, cum ingenti damno Ecclesiae et status, a praecipuis muneribus publicis removeantur. Quandoque etiam nihil mali in his Constitutionibus continetur, eo quod tolerantia mere civilis in multis regionibus, ob impossibilitatem melioris systematis stabiliendi, licita evasit.

359. III. Cum in plerisque Statibus hodiernis, cives **suffragio ferendo** concurrere possint vel debeant, ad designandas personas quae potestatem legiferam variosque magistratus obtineant, necesse est pauca de obligationibus inde natis statuere. Scilicet :

1<sup>o</sup> Generatim datur obligatio in conscientia concurrendi ad publica comitia. Singuli enim cives, tamquam membra Ecclesiae et Status, tenentur ad promovendum bonum et impediendum malum utriusque illius societatis : manifestum autem est, saltem in adjunctis hodiernis, Ecclesiae et Status felicem vel adversam condicionem magnopere ab exitu publicarum electionum pendere. Exceptioni locus est quando participatio hujusmodi comitiis induceret agnitionem gubernii illegitimi vel majora mala.

2<sup>o</sup> Obligatio haec non videtur oriri e stricta justitia : nam jus suffragandi, licet in communem utilitatem sit exercendum, non accipitur tamen per modum muneris alicujus publici, libere a singulis suscepti, sed potius per modum privilegii, quo ii qui certis condicionibus satisfaciunt universe donantur. Quodsi electores (ut fit in Belgio) lege civili suffragium ferre jubentur, summum additur obligatio oboedientiae erga legem, non autem justitiae stricte dictae. Deinde legi satisfit alba, ut aiunt, schedula in urnis deposita.

3<sup>o</sup> Graviter peccant qui suffragium ferunt pro candidatis qui aperte Ecclesiae vel bono societatis civilis adversantur, si intendunt eos adjuvare ad fines suos pravae assequendos. Haec enim est cooperatio formalis. (n. 235) Multi tamen non clare percipiunt quid intendant candidati et quem effectum suffragatio habere possit : quare caute inspicienda adjuncta locorum, temporum et etiam singularum personarum, antequam de peccato cujusquam judicium feratur.

4<sup>o</sup> Etiam seclusa cooperatione formali, per se non licet hujusmodi candidatis suffragari ; nam ratio amicitiae, peritiae majoris, etc., non sufficit ut adjuventur ad graviter nocendum reipublicae vel religioni. Ideo Leo PP. XIII. (Encycl. *Sapientiae christianae*, 10 Januar. 1890) : " Favendum viris est spectatae probitatis eisdemque de christiano nomine meritis : neque *causa ulla* esse potest cur male erga religionem animatos liceat anteponere. „ Quodsi nullus probus simul et rerum peritus nominari possit, licebit, ut opinor, abstinere a suffragio ferendo.

5<sup>o</sup> Per accidens licebit *materialiter* suffragari indigno candidato :

a) Si concurrat tantum indignus cum magis indigno, puta liberalis cum socialista. Qui enim in his adjunctis eligit minus indignum, nihil aliud facit quam inter duo mala necessaria minus eligere. Oportet tamen ut scandalum quod e tali catholicorum agendi ratione oriri possit, removeatur, declarando, ex. gr. per ephemerides, quo sensu illud auxilium minus indigno praestetur. Neque obstat quod non sunt facienda mala ut eveniant bona : nam suffragari minus indigno non est ejus consilia approbare, sed tantum eum adjuvare ad assequendum munus quo abuti quidem potest, sed ex propria perversitate.

b) Si quis metu gravis mali adigitur ad suffragium dandum indigno, neque hoc periculum evadere potest promissione quae certe non obligat et quae, adhibita restrictione non pure mentali, ne mendacium quidem erit. Prudenter conferenda est gravitas mali imminentis cum gravitate mali quod probabiliter e suffragio iniquo consequetur. Verum quidem est fieri posse ut deputatus unica voce majoritatis electus, causa sit cur lex funestissima adoptetur ; sed quae mere possibilis sunt, nequeunt probabiliter conjectura praevideri. Perperam ergo ex his sequelis plane extraordinariis et improvisis concluderetur talem cooperationem materialem esse semper graviter malam. Saepe fiet ut damnum privatum praeponderet exiguo damno quod e suffragio dando timetur, ex. gr. quia sufficiens est numerus electorum vel deputatorum qui malis praevaleant, vel, ex adverso, quia moraliter certum est malum candidatum electum iri, etc.

6<sup>o</sup> Graviter peccant qui, nulla justa causa impediti, abstinere a suffragio ferendo quando probabiliter timere debent ne abstinendo causa sint cur sufficiens numerus bonorum civium non eligatur atque ita magna mala a perversorum factione perpetrentur. Cfr. Lehm. I. n. 799. Idem videtur dicendum si is qui abstinere tanta esset auctoritate ut, suffragium ferendo, multos exemplo suo traheret et efficaciter in successum boni candidati influeret : quod raro continget. Ob damnum autem imminens, licebit abstinere eadem fere ratione qua (5<sup>o</sup>) dictum est de eligendo indigno ; immo facilius, siquidem abstinendo non datur cooperatio positiva.

7<sup>o</sup> Hic non distinguimus inter nomina quae partes gerant, vel inter munera per electionem conferenda. Nihil enim universe de his statui potest ; sed in singulis regionibus et casibus inspiciendum est num reapse, juxta commune virorum prudentium et praecipue episcoporum judicium, utilitas Ecclesiae vel Status in aliqua suffragatione agatur, et timendum sit ne quidam candidati, si eligantur, damnum alterutri vel utrique societati inferant. Id potissimum in electionibus quas *legislativas* vocant, sed saepe etiam in localibus obtinet, immo et in elec-



tione eorum qui certis partibus rerum publicarum praesint, puta operariorum negotiis, scholis (school-board), etc.

8° Curandum omnino ut hae catholicorum obligationes ea ratione quae, sub directione Ordinarii, expeditior videtur, omnibus innotescant, ex. gr. ope honorum diariorum, libellorum, catechesium, etc. Agitur enim de re a qua catholicae religionis conservatio et prosperitas maxime pendeat. Attamen cavendum est confessario ne, sine ulla spe fructus, bonam fidem quorundam poenitentium perturbet: nam, praesertim in locis exiguis, aegre secernunt plurimi personarum vitia vel qualitates a principiis quae profitentur, praecipue si malis partibus addicti moderationem magnam prae se ferunt, vel catholici candidati vita sua privata parum commendantur.

Cfr. de hac quaestione Lehm. (I. n. 799); Villada (Cas. Consc. t. I. p. 135 seqq.); Aertuys (Th. Mor. t. I. de 4° Praec. Dec. n. 179); Marc (Th. Mor. t. II. n. 2286 seqq.); Scavini (Th. Mor. t. I. n. 676 seqq.); Berardi (Prax. Conf. n. 3167 seqq.); Waffelaert (Étude de théol. mor. sur la licéité de la coopér. apud N. R. Th. t. 14. p. 490 seqq.).

IV. Cum hodie in multis regionibus plurimae vigeant **societates illicitae**, quae summopere noceant Ecclesiae et Statui, inter praecipua officia fidelium reponendum est ut ab iis ingrediendis abstineant vel easdem, imprudenter ingressi, relinquunt. Quare breviter hic investigabimus duo, quae in hoc argumento potissima sunt: primum, quatenam societates censendae sint illicitae; alterum, quae sint fidelium et sacerdotum erga easdem societates officia.

1° Societas *ex intrinseca sua ratione* illicita est, si aut finem malum prosequatur aut media prava ad finem etiam honestum assequendum adhibeat.

Plerumque nullo negotio patebit quatenam societates dicendae sint prohibitae ob finem malum quem prosequantur. Ita manifeste damnandae sunt omnes societates quae, dum sibi proprios ministros et ritus constituunt, quasi novam religionem ab Ecclesia catholica diversam vel saltem distinctam efficere conantur (Vol. II. nn. 586 et 588) vel quae contra Ecclesiam Statumque machinantur (Vol. II. n. 596). Idem dicendum de coetibus politicis qui promoveant partes Ecclesiae infensas et sive a S. Sede, sive ab Ordinario reprobatas, tamquam rei catholicae noxivas (1), de societatibus institutis ad promovendam cadaverum cremationem (Vol. II. n. 628), ad vulgandos libros pravae vel diaria impia, etc.

(1) Profecto hic magis ad spiritum quo ducantur eae partes quam ad earum nomen attendendum est. Ita S. Officium 29 Aug. 1877 episcopos Canadenses monuit: S. Sedem, dum reprobavit liberalismum, minime reprobasse quaslibet partes politicas quae se liberales vocarent. (Coll. P. F. n. 1665)

Saepe molestius est dignoscere num fideles prohibendi sint a societatibus quae, licet finem honestum prae se ferant, ut puta temporalia commoda alicujus civium classis promovere, facultatem praebere legendi multos libros vel ephemerides, etc. media adhibent suspecta seseque secreto plus minus arto obvolvunt. Patet in singulis casibus opus fore accurato examine statutorum societatis, indolis personarum quibus constat et praesertim ducum, etc. In hoc examine instituendo, haec prae oculis habeantur:

a) Graviter illicitae sunt omnes societates " quae a sectatoribus secretum nemini pandendum et omnimodam oboedientiam occultis ducibus praestandam exigunt „ (S. Inqu. Instr. ad omnes episc. data 10 Maii 1884; Coll. P. F. n. 1865)

Immo si alterutrum tantum exigunt, jam satis est ut reprobentur. Graviter enim peccaminosum est, tum promittere jurejurando secretum nemini omnino pandendum, cum Ecclesia et Status jus habeant invigilandi societatibus sibi subordinatis, ideoque examinandi num ea patrent quae bono communi adversentur, tum promittere omnimodam oboedientiam ducibus occultis, cum sic implicite promittatur oboedientia etiam ad illicita. Attamen, ut propter tale vitium reprobanda censeatur aliqua societas, necessarium est ut illud *absolutum* secretum vel *omnimoda* oboedientia disertis verbis promittatur, vel ut aliunde, puta e denegatione quam societatis duces fecerint declarandi secreti petenti legitimae auctoritati, constet hunc esse sensum verborum quibus universaliter promittatur secretum vel oboedientia. Deficiente hac clara probatione, promissiones illae potius interpretandae sunt de secreto servando erga omnes quibus jus legitimae interrogationis non competat et de oboedientia praestanda quamdiu ducum jussa nullis Dei vel Ecclesiae legibus adversentur: delicta enim non praesumenda, sed probanda sunt.

b) Graviter illicitae sunt societates quae ab asseclis suis aliquid exigant quod sine letali noxa praestari nequeat, ut puta pecuniam conferre in usum pravum adhibendam, ex. gr. ad cultum superstitiosum, ad fovendas iniquas cessationes operariorum a labore (grèves), etc. vel partem agere in caerimoniis quibus socii profiteantur materialismum, atheismum, vel haeresim. Excipe si forsitan omnis participatio in his mediis illicitis detrectari queat. Speciatim hic dubitari potest num catholicis liceat ingredi illas societates quae a candidatis suis postulent juramentum super Biblia protestantica praestandum. Profecto tale juramentum non est intrinsece malum. Fieri enim potest ut, sive ob protestationem a singulis jurantibus additam, sive ob interpretationem communiter in aliqua regione aut societate receptam, pateat Biblia illa tangi tantum quasi signum quo provocetur ad Verbum Dei scriptum, quatenus hoc tum a catholicis, tum a protestantibus agnoscitur, praescin-